AD

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. PRÆSULEM

JOSEPHUM ANDREAM
COMITEM ZALUSCHIUM

SUPREMUM REGNI POLONIÆ REFERENDARIUM

EPISTOLA.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. PRÆSULI

JOSEPHO ANDREÆ COMITI ZALUSCKIO

SUPREMO REGNI POLONIÆ REFERENDARIO

A. M. CARD. QUIRINUS

S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

Nihil profecto ſuperiori menſe Februario opportunius, nihilve jucundius ſtudiis meis poterat contingere, quam ut, quo ipſo tempore me illa in Poloniæ tractus detulerant, meque ibidem hoſpitem detinebant, inſigni munere tuo, præſtantiſſime Præſul, ſeſe aucta repente intuerentur, Conſpectu nimirum ampliſſimo POLONIÆ SACRÆ, quam in publicam lucem edere conſtituiſti. Verſabar igitur, dum libellus ille tuus meas ad manus advenit, in patriis tuis finibus, ibique Civem tuum, adoleſcentem quidem, ſed egregio erga Catholicam Religionem animo præditum, longo ſermone alloquebar, inſuper Apoſtolico ad Nationem veſtram Ablegato, Viro omni laude digniſſimo, familiarem me feceram, ac demum

eximias Cardinalis veſtri virtutes ad ſydera extollere non ceſſabam. Hujuſcemodi autem peregrinationis auctorem, & ducem ſeſe mihi præbuerat inclytus Card. Auguſtinus Valerius; idque quonam modo acciderit, ſepoſitis Rhetoricis ſchematiſmis, ſimplici oratione declarabo. Perquirenti mihi ejuſdem Cardinalis libellos maximo ſtudio, ex cauſa, quam expoſuit Epiſtola ad Benedictum XIV. a me data die ſeptimo proximi menſis Januarii, proſpere admodum occurrit Commentarius ab eo exaratus, quo Polonum juvenem inſtruit de recta ratione vitæ eidem degendæ inter Hæreticos ſuæ regionis, eaque occaſione Cardinalem Commendonum Pontificiam Legationem in iis partibus gerentem magnopere celebrat, præter modum vero fulgentiſſimum Polonorum, & Romanæ Eccleſiæ lumen Hoſium Cardinalem. Annon quum grata lectione iſta fruerer, aliiſque fruendam typorum beneficio pararem, juncta eidem de meo Præfatione, unde eorum quivis exquiſitam eam dapem avidius appeteret, annon, inquam, mihi viderer tuos potius inter Polonos, quam inter Cenomanos meos verſari? Acceſſit vero, mihi inter immorandum eidem Commentario in mentem veniſſe tria pretioſiſſima Cimelia, quæ rara prorſus felicitate ex Hoſii Cardinalis armariis ad mea ſcriniola devolaverant. Hujuſmodi ſunt, I. Decreta Synodi Varmienſis auſpiciis illius Cardinalis olim habitæ, adhuc inedita. II. Judicium ejuſdem Cardinalis de judicio, & cenſura, Theo-

Theologorum Heidelbergenſium, & Tigurinorum, ipſamet manu Viri illius exaratum. III. Epiſtola apologetica Cardinalis Poli ad Eduardum VI. Regem Angliæ, ex Codice manuſcripto, ad Cardinalem Hoſium ſpectante, & plures hujus Scriptiones complectente, deprompta. Margaritas itaque iſtas, & una ſimul Commentarium Valerii contrectans, magis, magiſque mihi viſus ſum, iterum dicam, in Polonia tua habitare. Eaſdem autem rara prorſus, ut dixi, felicitate me poſſidere, facile Tibi perſuadebis, poſtquam noris, eas omnes ex liberalitate V.Cl.Jo.Georgii Schelhornii, Memmingenſis Bibliothecarii, mihi obtigiſſe. Propenſam magnopere erga me hominis illius voluntatem alibi etiam pro merito celebravi, nec ea unquam in memoriam meam redit, quin laudibus a Cardinali Polo in Joannem Sturmium collatis, & ibidem a me recitatis, ſcilicet doctrinæ, eloquentiæ, moderationis, & judicii, quarum omnium Schelhornium quoque participem feci, naturæ etiam bonitatem adjungam. Hanc nemo Schelhornio abjudicaverit poſt dona illa mihi impertita, & quidem ſponte ſua.

Venio nunc ad donum, quo ipſe nuperrime me affeciſti, Præſul ampliſſime, Conſpectum, ajo, novæ Collectionis legum Eccleſiaſticarum Poloniæ, & Scriptorum etiam Eccleſiaſticorum ejus regionis cum ineditorum, tum & editorum, ſed rariſſime obviorum. Vix Conſpectum illum ſum contemplatus, admiratus vehementiſſime ſum innumeras divitias a

Digitized by Google

Te pro eo Opere concinnando jam coacervatas, immenſis propemodum laboribus, & graviſſimis etiam ſumptibus; nam Scripta, quibus Collectiones illæ conſtabunt, ad ſexcenta, ut video, & ſeptuaginta tria in eo Elencho recenſentur. Gallia Chriſtiana Fratrum Sammarthanorum, Italia Sacra Ferdinandi Ughelli, Sicilia Sacra Rocchi Pyrrhi, Batavia Sacra Anonymi, quas omnes memoras in Conſpectus illius procemio, cedant, oportet, POLONIÆ ORTHODOXÆ, quam moliris, hancque unam pro cunctis fama loquatur. Adeo me cepit incredibilis illa gazarum tuarum copia, ut, quoniam ad eam comparandam adjumento Tibi fuerunt, ut ipſe narras in eodem procemio, triennalis primo Romana commoratio, deinde incolatus quinquennalis tum in Gallia, tum in Lotharingia, denique literaria itinera in finitimas oras Germaniæ & Belgii, nec non & in Angliam; placere mihi hac mercede ferme dixerim vel ipſa fata, queis jactatus eas regiones peragraſti; ſiquidem inde littori tandem reſtitutus, & ad Patriæ chariſſimæ ſinum revocatus, *non amplius ab ea*, ut ipſe loqueris, *amovendus*, toto modo pectore ad locupletandam iiſdem gazis literariam Remp. incumbis. Præclariſſimi tui hujuſce animi apertiſſimum præterea documentum edidiſti, dum civium tuorum bono litaturus, publicam Bibliothecam erigendi conſilium una cum Excellentiſſimo fratre tuo in ſpatioſa Aula, Zaluſckianis Ædibus contigua, Palatioli, ſuſcepiſti. In hanc ipſam, dum mente

re revolvo, libros omnes, ingenioli mei fœtus, ex benignitate tua illatos fuiſſe, nil aliud mihi illi videntur, niſi poma in gurgite vaſto natantia. Novum ejuſdem animi tui erga literas argumentum mihi obtulit Volumen, quo pariter me nuperrime donaſti, Pauli Potocki Operum, quæ ita eruditione tua illuſtraſti, ac locupletaſti, ut ea edendo parem ferme gloriam cum eorundem Auctore ſis aſſequutus.

Supereſt, Vir præclariſſime, ut ad teſtandam Tibi diligentiam, qua ſingulos Elenchi tui illius numeros expendi, certiorem Te faciam, me oculos intendiſſe in Scripta omnia iiſdem numeris prænotata, quod ſperarem, Nicolai Tomiski, cui Valerius Opuſculum ſuum inſcripſit, mihi alicubi occurrere poſſe mentionem aliquam. At fruſtra; ſolam enim mentionem inveni Petri Tomicki, Epiſcopi Cracovienſis, quin ullo modo ſciam, an vocum earum affinitas, ſanguinis ullam affinitatem, quæ inter utrumque interceſſerit, deſignet. Lætatus autem admodum ſum, deprehendiſſe me in eodem Elencho Varmienſem Synodum a Cardinali Hoſio celebratam, eam ſcilicet ipſam, cujus, ut ſupra dixi, manuſcripto exemplari jam potior. Verumenimvero ægre tuli (ne rem iſtam Tibi diſſimulem) ejus Synodi epocham hoc modo ibidem adnotari, *Ante annum* 1525. Eo anno ſolum vigeſimum, & alterum ſuæ ætatis Hoſius numerabat, vacabatque, ut puto, literis in Athenæo Patavino. Confugi itaque ſtatim ad Erratorum tabulam, re-

pe-

Digitized by Google

perique indicari in ea ad paginam 13. minuſculum quoddam erratum, ſcilicet *Kakoſt.* poſitum pro *Koſtka*, omnino autem intactum præteriri erratum illud chronologicum, etſi cubet in eadem pagina, & quidem poſt pauculas dumtaxat lineas. Fatebor inſuper, me ſubſtitiſſe pariter ad verbulum illud *Ante*, nec enim intelligere valui, quænam fuerit ejus apponendi ratio. At levia prorſus ſunt iſta præ Operis a Te conficiendi magnitudine, & excellentia.

Jam vero ſpondeo ego, Opus iſtud acceptiſſimum fore Benedicto XIV. neque ſinam, id a quopiam in dubium poſſe revocari; namque Collectio legum Eccleſiaſticarum Poloniæ ad ſapientiſſimi ejus Pontificis manus adveniens, fluminis inſtar habenda erit, aquas ſuas in vaſtum Oceanum, iiſdem ſinu ſuo excipiendis omni tempore paratum, evolventis. In Epiſtola, quam ſuperius allegavi, ad Sanctitatem Suam data die VII. Januarii, faſſus ſum, ex doctrinæ Suæ pelago tot profluxiſſe monumenta typis excuſa, ut vel ſola amplæ Bibliothecæ loco eſſe debeant Eccleſiaſticarum rerum ſtudioſis. Hic vero, quin abeam ex ejuſdem Epiſtolæ argumento, quo videlicet Anni Sancti a me ſuſcipienda deſcriptio explicatur, audi quid ſubjungam. Qua ratione Card. Valerius Polonum juvenem his verbis eſt alloquutus, *Multa te ad videndam urbem Romam hoc potiſſimum tempore poſſunt impellere, & quod eſt mater, & altrix incontaminata Religionis, & quod in ea hoc Pontifice Pio V. Eccleſiaſtica diſciplina in priſti-*

ſtinum candorem videtur reſtituta; pari hæc ipſa verba ratione Benedicto XIV. aptari poſſe profiteor, ex cujus ſcilicet pectore, immenſis Eccleſiaſtici Juris theſauris referto, ceu ex perenni fonte jugiter promanant ſaluberrima ſacræ diſciplinæ ſeu ſervandæ, ſeu reparandæ inſtituta. Opus præſtantiſſimum de Servorum Dei Beatificatione &c. maximis iis elogiis exornatur in Actis Lipſienſibus, quæ unicuique patent in fronte primi Tomi ejuſdem Operis Edit. Patav. indeque unum dumtaxat afferam teſtimonium, quod ita ſe habet. *Vix ſuppetunt nobis vires ad verba utcumque invenienda, quibus diligentiam adamantinam, notitiam antiquitatum Chriſtianarum vaſtiſſimam, Theologiæ Scholaſticæ, ac Liturgicæ peritiam inuſitatam, quam Summus Pontifex in hoc Opere elaborando poſuit, jure ſuo, meritoque prædicemus. Proſpicimus jam auream ætatem, quam Summus hic, Maximuſque rei literariæ, & eruditionis pulcherrimæ ſtator, & fautor, orbi erudito eſt infuſurus, atque largiſſime cum omnibus bonis communicaturus.* Verum tamen non orbi tantum erudito, ſed Chriſtiano univerſo auream illam ætatem per Benedictum XIV. infuſum iri, animo meo auguratus jam ſæpius ſum, nec augurari unquam deſiſtam, quod iis excellentiſſimis dotibus Sanctitatem Suam omnino præditam eſſe conſpiciam, quibus facile ſublimes terræ Poteſtates adducat, ut ſuſcepto a ſe ipſa conſilio Chriſtianarum omnium Eccleſiarum pacem conciliandi obſecundent.

Digitized by Google

Quod ad me ſpectat, quam ſtudioſe, ob oculos habens Pauli Apoſtoli illud, *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*, pro modulo meo curem ei paci viam quoquo modo ſternere, fidem faciant tot lucubrationes a me adverſus Heterodoxos conſcriptæ, & præſertim ad damnandam ſeceſſionem ab Eccleſia Romana per Lutherum, alioſque eorundem Magiſtros invectam. Hoc in argumento urgendo, ſi dixero Adverſarios a me ad incitas fuiſſe redactos, glorioſi militis perſonam gerere minime cenſendus ero, vel ex ipſo inter eos cordatiorum, & liberius ſcribentium judicio. Haud diffiteor tamen, belligerandi rationem, quam ineo, minime a me disjungi ſolere ab humanitate, qua erga gentem illam Majores olim noſtros uſos fuiſſe indubiis documentis deprehendi. Hujuſce generis ſunt laudes, quas a Card. Polo in Sturmium collatas fuiſſe ſuperius indicavi; & eæ quoque, quibus a Sadoleto cumulatum, ut ita dicam, fuiſſe Melanchthonem, & quarum tandem liberalem valde ſe præbuiſſe Contarenum adverſus omnes, quibuſcum controverſias tractavit, ſuis locis retuli. Placet vero inſuper hic afferre ſtrenuiſſimum Catholicæ Fidei defenſorem Cardinalem tuum Hoſium, de quo Ciaconius T. 3. de Vitis Pontif. & Card. p. 911. ſcribit: *A menſa tamen ſua, & congreſſu venientes Hæreticos, & Schiſmaticos prohibere non ſolebat, ſed eorum conſuetudine ad ipſorum tamen emendationem utebatur*. Quantum conferre poſſit eorundem emendationi comis illa conſue-

ſuetudo, ob oculos mihi poſuerunt vel Turicenſia publica folia ſuperioris menſis Februarii die 19. impreſſa; nam recenſito in iiſdem Vicennalium Brixienſium libro, juſſu Academiæ Goettingenſis typis excuſo, ultimo loco commendatur quæ a noſtris adhiberetur ad devinciendos Heterodoxos lenitas, & comitas, ſubdunturque poſtea Virgiliani hi verſus,

Veluti in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat,
Tum pietate gravem, & meritis ſi forte Virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Pontificem doctrina, ſapientia, pietate, & meritis non gravem, ſed graviſſimum, quem hac tempeſtate conceſſit Deus Optimus Maximus Eccleſiæ ſuæ, cur non eum eſſe dicamus, cui, poſtquam eorum, qui a gremio matris ſuæ receſſerunt, animos rexerit, & pectora mulſerit, amplificati gregis Chriſtiani coronam idem Deus reſervaverit?

Votis iſtis nuncupatis, ſpem iſtam alentes, lætiſſimo pectore incumbamus, Zaluske optime, Tu quidem in Poloniæ Orthodoxæ Opus contexendum, ego vero in abſolvendam Cardinalis Poli Literarum Editionem, pariterque in adornandam quam primum proximi Jubilei Hiſtoriam. Bone Deus! quam magna foret hodierni, quo fruimur, Pontificatus felicitas, ſi in hujus Faſtos inferretur præclariſſimum facinus clauſæ una ſimul & Januæ, quæ

Digitized by Google

quæ Sancta dicitur, & Januæ, quæ belli ſacri Erynnim, Hæræſim nimirum, duro compede vinctam coerceat. Dum etenim fremens iſta ſederet ſuper arma, geſtirent utique præ ceteris quotquot eadem tyrannico jamdiu preſſiſſet imperio, æternaſque iidem gratias BENEDICTO XIV. rependerent, qui ipſos in libertatem aſſeruit. Incredibilem Pontificis hujuſce bonitatem, atque clementiam dum uno ore deprædicant Reges, Principes, Dynaſtæ quicumque ad Apoſtolicam Sedem ſupplices confugiunt, Epiſcopi etiam quammaxime, uno verbo omnis ordinis homines; pro re certa habeant Heterodoxi, in hoc ſemper paratum ſe reperturos Supremum eundem Hierarcham, ut de ipſis quoque benemereatur, ſiquidem bono animo ſortes ſuas in ejus manibus reponant. Demum dicere audeo, Concordiæ, de qua agitur, ſtatuendæ parem nec habuiſſe Sæcula, nec habitura eſſe Pontificem. Vale.

Brixiæ die XII. *Martii an.* MDCCXLIX.

Aol 1467739

Digitized by Google